



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

17. De Aldeberto hæretico, de nequitia eius, & quomodo circa  
confessionem sacramentalem se gesserit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

nes mihi noxas ignouit. Non multò post idem alium bouem furatur, & in ipso facinore deprehensus, fatetur neutiquam se illud admis- rum fuisse, si non tam facilem se præbuisset pa- rochus in delictis ignoscendis, eaque res plu- rimos ad grauisima facinora stimulabat, ad- deò vt summam in domestica familia perfidi- am patresfamilias persentiscerent, ac tam exi- tiales istius Euangelij fructus grauius abomi- narentur.

*Ex vita S. Bonifacij Archiepiscopi Mogun-  
tini, Germanorum Apostoli & martyris,  
quæ habetur in tomis Lauren. Suriy s. Iulij.  
Breuis historia de Aldeberto heretico, de ne-  
quitia eius, & quomodo circa confessionem  
sacramentalem se gesserit.*

## CAP. XVII.

**A**ldebertus in primæua ætate hypocrita fuit, dicens quod sibi angelus Domini in specie hominis de extremis finibus mundi, mirè, & tamen incertè sanctitatis reli- quas attulerit, & exinde potuerit omnia, quæcunq; poposcerit, à Deo impetrare. Hac ergò simulatione, sicut Apostolus Paulus præ- dixit, penetravit multorum domos, & capti- uas duxit post se mulierculas oneratas pecca- tis, quæ ducebantur varijs desiderijs, & multi- tudinem rusticorum, dicentium quod ipse es- set vir Apostolicæ sanctitatis. Præterea con- duxit episcopos indoctos, qui se contra præ- cepta canonù absolutè ordinauerunt. Vnde in



tantam superbiam elatus est, vt se equipararet  
Apostolis Christi, & dedignatus in alicuius  
Apostolorum vel martyrum honore Ecclesia  
consecrare, in proprio honore dedicaret ora-  
toria, vel vt verius dicam, sordidaret. Ad hec  
etiam improprians, cur voluissent homines  
visitare limina sanctorum Apostolorum, fecerunt  
eis cruciculas & oratoriola in campis, & ad  
fontes, vel vbiunque sibi videbatur, & iussit  
ibi publicas orationes celebrari, intantum vt  
multitudines populorum, spretis ceteris epis-  
copis, & dimissis antiquis Ecclesijs, in talibus  
locis conuentus agerent, dicentes: Morita  
sancti Aldeberti adiuuabunt nos. Ungulas  
quoque suas & capillos dedit ad honorifican-  
dum & portandum cum reliquijs sancti Petri  
Apostolorum principis. Tantis itaq; flagitijs  
inuolutus, presumpsit quoddam, quod maxi-  
mum scelus & blasphemia contra Dominum  
esse videtur. Venienti. n. populo, & prostrato  
ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata  
sua, dixit: Scio omnia peccata vestra, quia mi-  
hi cognita sunt occulta vestra: ideoque non est  
opus confiteri ea. Securi ergo & absoluti de  
peccatis vestris preteritis, reuertimini ad do-  
mos vestras cum pace. Hec igitur atque his si-  
milis, quae sanctum Euangelium hypocritas fa-  
cturos esse testatur, idem Aldebertus suo habi-  
tu & incessu, moribusque solet operari.



*Ex Epistola nuncupatoria Stanislai Socolouij ad Gregorium XIII. Pontif. Max. in Censuram Orientalis Ecclesie de precipuis nostri seculi heresibus. Quomodo heretici nostri temporis carentes capite, ad Patriarcham Constantinopolitanum sua dogmata miserint, ab illoq; in communionem recipi postularint. & quomodo istorum doctrina ab illo sit repudiata.*

## CAP. XVIII.

**I**ure ac instituto belli sancitum est, Gregori XIII. Pontifex Max. vt qui transfugam in aliena castra transeuntem deprehenderit, illum imperatori suo, aut cuiuspiam alteri ex ducibus militie sistat, atque presentet. Non dissimile quid hoc tali tempore in spiritali hac nostra militia deprehensum, ad sacrosanctum S. V. tribunal, eodem iure pro officio meo afferro. Cum enim ante hoc biennium, vna cum Serenissimo rege meo principe integerrimo, ac religionis Catholice studiosissimo, principio regni illius has oras Sarmatiae nostrae peragro atque perlustro, Leopolum Metropolim Russiae, emporium apud nos imprimis nobile, veni. Habet hoc ea vrbs ante alias singulare, vt cum reliquarum plane omnium religionum ritus & coere monias ex antiquo admiserit, ab huius tamen seculi heresibus peculiari quodam Dei munere penitus sit libera, illisque summo studio ac diligentia mirae obstat. Incidi tum forte ibi in quendam  
Archi-